UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Patrimonium

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

Pater non debet conſtitui Curator filii minoris in cauſa hæreſis.

8 Pater communicare poteſt cum filio excommunicato non tolerato. Vide V. *Excommunicationis*, n. 4.

9 Pater non debet ab Inquiſitoribus conſtitui curator filii minoris proceſſati contra Gomez *lib. 3. c. 1. n. 64. p. 4. tr. 6. reſ. 31. §. Nota etiam.*

Et cohabitans cum filio Clerico exēptus eſt ab onere hoſpitandi milites.

10 Pater cohabitans cum filio Clerico, gaudet eius privilegio *l. 1. c. de Episc. & Cler.* de non hoſpitando milites, ita vt nec teneatur contribuere in pecunia, quia privilegium alicui conceſſum extenditur ad eius ſocios. Ita Riccius *parte 3. reſolutione 28, num, 1, & 2. part. 4. tract. 1, reſ. 32.*

An ſi ſit dives, & exponat filiū hoſpitali, teneatur ad expēſas.

11 An pater dives exponens filium hoſpitali ex iuſta cauſa, teneatur hoſpitali reſtituere expenſas. Vide V. *Reſtituere*, n. 30. circa medium.

Peccat pater filium caſtrando.

Pater irritare poteſt vota filiorum impuberum. Vide V. *Voti relaxatio*. Et pater non poteſt caſtrare filium propter vocem ſine peccato mortali Diana & alii *parte 9. tr. 8. reſ. 45. §.* Deinde.

PATRIMONIVM.

Quid de bonis patrimonialibus Clerici cenſendū?

1 BOna patrimonialia Clerici, ad quorum titulum ordinatus eſt, inter Eccleſiaſtica bona computantur, gaudentque privilegio fori, non quia Eccleſiaſtica ſint, ſed quia ſunt bona perſonæ Eccleſiaſticæ. Vide Gratianum *diſcept. forenſ. cap. 159. n. 27.* Menochium *de recuperand. poſſeſſ. rem. 15. n. 21.* Cevallos *Commun. quaſt. 527.* & Cenedo *pract. qu. l. 1. quaſt. 11. à n. 5. p. 9 tr. 8. reſ 23. verſ. Et tandem.*

An patrimoniū clerici fundetur in cenſu redimibili.

2 Patrimonium Clerici fundari poſſe in cenſu redimibili negat Vgolinus *de poteſt. Epiſc. cap. 26. § 10. n. 2. & § 12. num. 3.* cum Bonacina *de Sacram. diſp. 8. quaſt. vnica punct. 5 n. 32.* Quia venditor poteſt illum remidere, quo caſu fit res mobilis, quæ non ſufficit ad patrimonium. Sed optimè Azor *tom. 1. lib. 3 cap. 14. quaſt. 7.* Caſtro Palaus *tom. 4. tractat. 17, diſp. vnica punct. 11, numero 9.* & alii aſſerunt cenſum redimibilem ſufficere ad matrimonium; quia annui cenſus inter immobilia computantur, Clementina, *Exiui. §. Cumque annui redditus, de verb. ſignif. p. 9 tr. 8. reſ. 25.*

An ſit ſupputandum inter bona legitima.

3 Patrimonium Clerici, illi à patre donatum, vt poſſit ordinari, ſupputandum eſſe inter bona legitima affirmant Bonacina *tom. 3. diſp. 1. quaſt. 19 punct. 1. §. 1. num. 14.* Covarruuias, *in cap. Raynaldus de teſtam. § 5. num. 7.* & alii: repugnat enim æquitati naturali, inter filios non ſervari æqualitatem. Negant verò viginti quinque Doctores, quos allegat Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 19. nu. 69.* Quia bona prædicta filio conceſſa ſunt pro alimentis neceſſariis: at ea, quæ ſic conceduntur, vtpotè conceſſa ex cauſa neceſſaria, non computantur in legitimam, vt tradunt Surdus *de Alim. tit. 8. quaſt 57. num. 2. & tit. 9 quaſt. 34. in princ.* Molina *de iuſt. tract. 2. diſp. 303.* & alii, Ego tamen puto negativam ſententiam eſſe communiorem; affirmativam verò probabiliorem, cui magis adhæreo *p. 9. tr. 8. reſ 24.*

PATRINVS.

Patrinus neceſſarius eſt in Baptiſmo ſolemni.

✠ INter ſolemnitates in Baptiſmo, & Confirmatione requiſitas eſt interventus patrini, de quo aliqua dicenda ſunt ✠.

Non autem in privato.

1 Et quidem quoad patrinum Baptiſmi putat primò Zambranus *de caſ. mort. cap. 1. de Sacr. Bapt. dub. 18. n. 17.* illū eſſe neceſſarium tam in Baptiſmo ſolemni, quàm in privato, vt fit domi tempore neceſſitatis: quia, ait ipſe, patrinus non tam pertinet ad ſolemnitatem Baptiſmi, quàm ad inſtructionem baptizati, eiuſque ſpiritualem regenerationem. Et prætereа, cùm nullus contingat Baptiſmus ita privatus, ſaltem in pueris, vt non ſit, qui illum teneat, credendum eſt, Eccleſiam in quocumque Baptiſmo patrinum exigere. Sed ego puto cum Henriquez *lib. 2. cap. 18.* nullum eſſe præceptum de adhibendo patrino in caſu neceſſitatis; quia id non eſt credendum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN